



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VIII. De Communi & Missis votivis in fine Missalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS VIII.

De Communi et Missis votivis in fine Missalis.

1. **C**ommunes Missæ deserviunt, tum celebrandis Sanctorum aliquorum, quæ habentur in Calendario, & nihil habent proprium, vel non habent omnia, tum celebrandis eorum festivitibus, qui extra Calendarium occurrunt in pluribus locis, præsertim vero Patronis locorum & titularibus Ecclesiarum.
2. Ad festum Patroni loci, tenentur etiam Regulares ejusdem loci, non autem ad Octavam celebrandam ex Decreto S. rit. Congreg. ad quod notandum: si occurrant duorum vel plurium Sanctorum festa, quorum unum est festum Patroni, & nihil de aliis v. g. Paderbornæ titulus Ecclesiæ Parochialis est S. Pancratius, de quo faciendum est Officium. In hoc & similibus casibus curandum est, ut Missa congruat festo, & deficientibus propriis aut iis non convenientibus, recurrendum est ad commune Sanctorum, unde in allegato casu orationes & Versus ad primum ALLELUJA ex communi desumi debent: unde etiam tota Missa sumi posset; festum verò Sociorum transferendum est; quod dum postmodum celebratur sub ritu semiduplici, Missa quæ habetur 12. Maji retinenda est, omisso solo nomine Pancratii: si contingat transferri post tempus Paschale, ratione temporis mutanda mutari debent. Si autem plures isti Sancti sint in Calendario sub ritu simplici: tunc de Socio nihil fit, nec illius festum transfertur.
3. Quando occurrit Missa votiva dicenda, & in Proprio aliquid deest ratione temporis, puta Tractus, vel Versus cum Alleluja tempore Paschali, illa sumi poterunt ex communi pro ratione temporis Paschalis vel post Septuagesimam. Si in feriis Adventus in quibus post Graduale omittitur Alleluja, dicantur Missæ votivæ, in illis dicitur Alleluja, non enim sunt Missæ de tempore. Vide Missam votivam de B.

de B. Virgine ab Adventu ad Nativitatem Domini, in qua reperies Alleluja : omnes enim votivæ institutæ sunt in eodem gradu, nisi in propriis locis aliter notetur.

4. Si infra Octavam Paschæ cantetur votiva pro re gravi, in ea non dicitur Graduale, sed duplex Alleluja ut alias tempore Paschali, in fine tamen ad Ite Missa est, non est dicendum duplex Alleluja.

TITULUS IX.

De Litanis maioribus et minoribus.

L Etâ Horâ summo sacro præmitti solitâ instituitur processio. Cantores superpelliceis induti post repetitam Antiphonam EXURGE Litanias cantare incipiunt. Omnes genuflectunt. Dum cantatur *S. Maria ora pro nobis* omnes surgunt. Officiator aliquas Sanctorum reliquias per Diaconum accipit : velo violaceo sibi à Subdiacono circumposito tegit. Acolythus cum cruce præcedit sine Ceroferariis.

Missâ verò, quoniam in Litanis maioribus occurrit festum S. Marci : feriâ 2dâ Rogationum, festum translationis S. Didaci. Feriâ 4tâ, si festum non occurrat, Missâ de Vigilia : à nobis, qui ad duas Missas conventuales non obligamur, nunquam cantatur de rogationibus, nisi in casu quo feriâ tertiâ Rogationum nullum festum duplex aut semiduplex occurrit.

CÆRE-